


uam Quinti: & permutatim, sicut CAB ad CB, ita AB ad BE, per decimam sextam eiusdem. Est autem ipsa CA minor quam 1351: ipsa autem AB est 1560, & CB est 780. Ambæ igitur CAB ad CB, ob id AB ad BE, ob idq; AD ad DB, per octauam Quinti, minorem habent rationem, quam 2911 ad 780. Habetur itaq; id quod ex AD, 846391: & quod ex DB, 608400. Quare, per quadragesimam septimam Primi, quod ex AB, est 9082321. Quorum radix quadrata, $3013\frac{3}{4}$, propinqua: reddit enim 9082321, plus $368\frac{1}{16}$: scilicet $9082689\frac{1}{16}$. Quare ipsa AB ad BD rationem habet minorem, quam $3013\frac{3}{4}$ ad 780.



Secundo loco diuidat linea AF, angulum BAD æqualiter. Et erit in modum superiorum, ob Triangulorum similitudinem, componendo & permutando, sicut ambæ DAB ad DB, ita AF ad FB. Habetur autem AD minor quam 2911: ipsa autem AB minor quam $3013\frac{3}{4}$. Habent igitur ambæ DAB ad DB, quapropter AF ad FB, minorem rationem, quam $5924\frac{3}{4}$ ad 780. Quare si utrinq; auferamus nouem decimastertias (quippe 13 communiter diuidunt $5924\frac{3}{4}$ & 780, fiunt enim $455\frac{3}{4}$ & 60!) habebit ipsa AF ad FB minorem rationem, quam 1823 ad 240 (quæ sunt hinc illinc quatuor decimæ tertie.) Et quoniam AF habetur 1823, &

FB,